



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorvm Evangelicorvm D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

39. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

test. Vnde veritas dicit: Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Hæc ille. Eat nunc Calvinus, & liberum arbitrium ad bene iustæque viuendum in iis qui per Christum regenerantur ac liberantur, non contra Papistas, sed contra doctissimum Augustinum, diuinæ gratiæ assertorem maximum, fastuosè reiciat. Sanè homo impius ita Christi verba deprauauit, vt eum esse verum liberatorem (quod verba clarissimè dicunt) astutè & vafre negauerit.

39. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

DOcer hic locus non secus necessariam esse operû Abrahæ imitationem, vt filius Abrahæ, & amicitiæ foedere Deo coniunctus aliquis dicatur, quàm est necessaria fidei, quæ in Abrahâ fuit, imitatio, quàm ad Rom. 4. Apostolus contra Iudæos necdum in Christum credentes vrgebat. Probat enim hæc Christus, Iudæos non esse filios Abrahæ, sed filios diaboli, quia non opera Abrahæ faciunt, sed opera diaboli; sicut Apostolus probat, Iudæos non esse filios Abrahæ, quatenus ex circumcisione sunt, sed quatenus sectantur vestigia fidei quæ fuit in Abraham. Non secus ergo ad bonorum operum necessitatem hæc Christi doctrina valere debet, quàm ad fidei necessitatem Pauli doctrina valet. Calvinus hoc in loco reluctatur vt potest aliquantulum, tandem tamen vi veritatis victus, veritatem inuitus prædicat. *Christus (inquit) de origine carnali non disputat, sed tantùm inter Abrahæ filios coram Deo censeri negat qui fide non retinēt gratiam adoptionis. Nam quum Dominus Abrahæ semini pollicitus esset se fore in Deum, increduli omnes, hac promissione abiecta, se abdicabant ex genere Abrahæ. Ecce vellent hîc Christum disputare de fide & de semine Abrahæ per fidem, quum Christus hoc loco disertissimè loquatur de semine Abrahæ per opera bona. Nō enim de iis qui fide adoptionis gratiam non retinent, sed de iis qui opera Abrahæ non imitando nec faciendo eam gratiam resiciunt, loquitur: nec denique soli increduli abdicant se ex genere Abrahæ, abiecta promissione semini Abrahæ facta; sed impij, legis trāsgressores, maleuoli, & persecutores iustorum, quales isti Iudæi erant, quos Christus hîc alloquitur, abdicant se proptus ex genere Abrahæ, abiecta promissione semini Abrahæ facta. Hactenus ergo reluctatus est Calvinus apertæ veritati, & lectoris animum aliò abducere totis viribus conatur. Loci tamen euidentia eum pungente, hæc verba sub-*

In Prompt.
Cathol.
par. Qua-
drages. ser.
5. in capite
Iesuy.

iunxit. Status ergo questionis est, an reputandi sint Abraham filij qui oblatam sibi in verbo benedictionem abijciant, ut nihilominus sint gens sancta, peculium Dei, & regale sacerdotium. De abiecta benedictione in verbo oblata, nulla hinc questio est, nec de ea Christus loquitur: & aliud hoc est Caluini somnium, quod illi necdum expergefacto tories recurrit, de quo alio in loco diximus. Transeat igitur hæc eius suppositio. Hoc (inquirit) negat Christus & merito: quia Spiritu renasci oportet qui filij sunt promissionis: & novas esse creaturas quicumque locum appetunt in regno Dei. Vide quàm ægrè aliquid tandem propter fidem à Christo requiri fateatur, & bonorum operum necessitatem non quidem apertis verbis, inuolutè tamen & consequenter in verbo *nova creatura* agnoscat. *Nova enim creatura, & fides per dilectionem operans*, synonyma sunt apud Paulum ad Gal. c. 5. 6. & cap. 6. 15. Si ergo novas creaturas esse oportet qui filij promissionis esse volunt, & locum in regno Dei appetunt, profectò sola fides non facit filium promissionis, nec dat ei locum in regno Dei, id est, coram Deo iustum, aut Dei filium non facit, sed illa demùm fides hoc totum præstat quæ per charitatem operatur atque perficitur, ut possit iustificare, futura ad iustificationem prorsus inanis & inutilis, nisi charitas veluti forma & perfectio eius accedat. Et valet huc plurimum quod subiungit hoc loco Caluinus. *Non erat quidem inutile ac nullius momenti carnale Abraham genus, si quidem accederet veritas. Residet enim Dei electio in semine Abraham: sed libera, ut heredes vitæ reputentur, quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Eodem quippe modo residet Dei electio in semine Abraham spirituali, in iis qui imitantur vestigia fidei patris sui Abraham, qui credunt Christum resurrexisse à mortuis ad iustificationem nostram, sicut ille credidit corpus suum emortuum posse ad generationem reuiscere, in quo vno articulo imitationem fidei Abraham signanter ponit Apostolus. Sed hæc Dei electio in credentibus residet libera est, ut heredes vitæ reputentur, non qui credunt tantum, fidèque promissiones gratuitas apprehendunt, sed quos Deus Spiritu suo sanctificat, ut facti nova creatura, opera Abraham faciant sicut fidem imitantur, ac sic demum filij Abraham reputentur. Et hæc est tota ac plena Christi hoc loco sententia, qua bonorum operum ad salutem necessitas efficaciter probatur, & sola fides saluificans perspicuè euenit.

Rom. 4.

Operum bonorum necessitas.